Quaestiones Aeschyleae.

Dissertationi „de relatione temporali quae intercedit inter participia et verba finita apud Aeschylum“ a. MDCCCLXIII. Vratislaviae scriptae nonnullas inserui conjecturas, quarum mihi iterum iterumque tragoedias praestantissimi poetae pertractanti et in vulgata scriptura haesitanti in mentem venerat. Sed verbo tantum quid de illis locis sentirem addito, ubi opus esse videbatur, in animo erat fusius explicatiusque de iis ipsis aliisque locis in aliquo studiis antiquitatis inserviente commentario exponere causasque et cur locum corruptum judicarem et cur conjecturam meam rectam ducerem explicare. Quod consilium quum occupato mihi variis laboribus negotiisque distracto esset differendum, hac scribendi occasione oblata eo libentius exequor quo majorem olim in Aeschylo legendo operam consumpsi et nunc, quantum temporis angustiae sinunt, studium colloco.

Sed duabus angor rebus. Primum enim non injuria viri doctissimi conquesti sunt congeriem turbamque conjecturarum in Aeschylum factarum, quas aucturus sum, quamquam non ignoro, non modo non omnibus has probatum, verum etiam fortasse prorsus supervacaneas judicatum iri. Attamen quum negari nequeat, multis vel plurimis locis Aeschyli carmina ita esse librariorum incuria inquinata, ut nisi conjecturis iis mederi non possis, et interpretis curam atque diligentiam quasi ludibrio haberi, periculum faciendum puto, quid pro virili parte ad poetam melius intelligendum afferre possim. Praeterea me illa viri cuiusdam doctissimi voce, jam aliquid eum profecisse, qui vel uno loco Aeschyli genuinam scripturam restituerit, consolor spe ductus, fore ut id hoc illove loco mihi contigerit vel contingat.

Sed est altera quoque res, quae animum sollicitat. Quamquam enim quae ante a. MDCCCLXIII. prodierunt virorum doctorum editiones recentiores quantum potui examinavi singulasque in commentariis sparsas animadver-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

siones non sine industria perlustravi, tamen vereor ne unum alterumve locum jam ab aliis tractatum et emendatum retractem, quin etiam jam confutata proferam. Cujus rei causa penuria est librorum in bibliotheca nostra asservatorum et difficultas aliunde arcessendorum. Quod si igitur sententiam viri alicujus docti omiserim: neque de industria hoc factum putetur et veniam petenti mihi datum iri confido.

Primum locum in disceptationem vocandum legimus Suppl. v. 444.

Καὶ χρήμασιν μὲν ἐκ δόμων πορθουμένων
ἄτην γε μείζω καὶ μέγ' ἐμπλήσας γόμου
γένοιτ' ἂν ἄλλα κτησίου Διὸς χάριν.

Chorus hortatus erat regem Argivorum, ut sibi auxilium ferret; deos enim vindicaturos esse, si pateretur, supplices vi ab aris abduci. Rex tamen dubius atque anxius haesitat et deorum iram et pugnam cum Danai filiis verens. Dolorem vero se vix posse effugere. Tum deliberat, quid sibi faciendum sit: καὶ etc. Jam Auratus dativum χρήμασιν in genitivum χρημάτων suo jure mutavit, quae conjectura, præsertim quum etiam in scholio adscripta sit, ab omnibus recentioribus editoribus est recepta, ita ut versus 444 et 446 satis aptum praebeant sensum: opibus domuum deletis aliae Jovis gratia fiant. Sed quid versus 445 sibi velit, ita ut traditus est, nemo est, qui possit perspicere, quum constructio omnino nulla sit. Quare variis modis viri docti locum corrigere conati sunt. Dindorfius uncis inclusit; sed ense nodum expedivit. Nam quamquam sensum sanum restituit, tamen neque qui factum sit, ut versus insereretur, neque quomodo corruptela orta sit ostendit. Mihi quidem non videtur esse verisimile, cuiquam vel scribæ vel histrioni vel cuilibet alii in mentem venisse, talem versum inserere, si, ut Dindorfius vult, versus 446 versum 444 excepisset. Si ita, ut vir ille doctissimus scribit, versus in codice legerentur, nihil suspicionis haberent; tamen paulo subtilius Aeschylum scripsisse putaverim quam pro amissis opibus alias fortasse Jovis κτησίου gratia comparatum iri. Desiderantur enim quæ ad illustrandam augendamque loci sententiam valeant. Exorsus est poeta grandibus verbis, quæ si sequuntur simplicia illa vel etiam tenuia γένοιτ' ἂν ἄλλα mirum in modum oratio obtunditur atque debilitatur. Quare satis dilucidum esse arbitror, versum illum nequaquam e textu esse ejiciendum, immo medelam quærendam. qua ductu litterarum quam maxime servato restituatur sensus ita ut notio (κτήματα) γένοιτ' ἂν ἄλλα κτησίου Διὸς χάριν verbis præcedentibus augeatur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Hermannus versibus 545 et 446 transpositis scripsit ἄτης τε μείζω καινὸν ἐμπλῆσαι γόμον. Qua conjectura ad sensum quidem proxime accedit vir egregius, sed neminem fugit, et conjunctionem verborum: χρήματα γόμον καινὸν ἐμπίπλησι non sine offensione esse et infinitivum insolenter esse positum. Quare scribendum essep uto pro ΕΜΠΛΗCΑC — ΕΜΠΛΕΩ levissima mutatione et Turnebi conjecturam ἄτης pro ἄτην esse recipiendam, ut versus prodeat:

ἄτης γε μείζω καὶ μέγ' ἔμπλεω γόμου — (opes) majores quam calamitas erat magnique ponderis plenissimas. Exempla ad comprobandam conjecturam afferre supervacaneum esse puto. μέγα adverbii modo ad vim adjectivi augendam appositum tam frequens est tragicorum omniumque poetarum usus ut vix tritius vulgatiusque quid invenias.

Eumen. 972 alter invenitur locus, qui facillima mutatione emendandus est. Minerva enim, quum dixisset, se gaudere, quod Eumenides vota pro salute urbis suæ concepissent, pergit: στέργω δ' ὄμματα Πειθοῦς, ὅτι μοι γλῶσσαν καὶ στόμ' ἐπωπᾷ πρὸς τάσδ' ἀγρίως ἀπανηναμένας. Quid sibi vult ἐπωπᾷ? Num præsens tempus adhiberi potest, ubi actio jam præteriit, ita ut effectus cernatur illius verbi? Nam id non vult, non potest dicere Minerva, se amare Persuasionem, quia eo tempore, quo loquitur, efficiat, ut Eumenides, quam antea negaverint, tunc Athenis felicitatem concedant, sed propterea quod Persuasio linguam et os suum, h. e. verba, quibus persuadere voluit Eumenidibus, ut diras imprecari desinerent iramque sedarent, propitiis oculis adspexerit, quum rationes explicaret, quibus illæ adducerentur, ut propitiæ fierent Atheniensibus. Quum igitur Minerva dicebat: ἐμοὶ πίθεσθε μὴ βαρυστόνως φέρειν ctr. 794 seqq.; οὐκ ἔστ' ἄτιμοι ctr. 824 seqq.; ὀργὰς ξυνοίσω σοι ctr. 847 seqq.; οὔτοι καμοῦμαί σοι λέγουσα τἀγαθὰ ctr. v. 881 seqq., tum adspiciebat oculis propitiis Persuasio verba ejus, ut ad effectum .quem petebat, perveniret. Postea autem jam præteriit actio verbi ἐπωπᾶν, quare præsens locum habere non potest. Scribendum igitur est ἐπῶπα, quod oculis propitiis verba mea adspiciebat, scil. tum quum Eumenidibus persuadere studebam. Confirmatur conjectura verbis statim sequentibus; ἀλλ' ἐκράτησε Ζεὺς ἀγοραῖος.

Sept. 703. Quum Eteocles consilium suum virginibus, ex quibus chorus constat, aperuisset, se ipsum manus esse conserturum cum Polynice fratre, illæ eum admonent, quantum facinus sit commissurus; deam ultricem domum non esse intraturam, si dii piacula accipiant. Rex respondit:

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

θεοῖς μὲν ἤδη πως παρημελήμεθα,
χάρις δ'ἀφ' ἡμῶν ὀλομένων θαυμάζεται·
τί οὖν ἔτ'ἂν σαίνοιμεν ὀλέθριον μόρον.

jam a diis neglecti sumus; gratiam autem si periimus admirantur; cur amplius adulemur letalem fortunam? (Eteocles de se ipso loquitur, ut hoc addam.) Quid quæso significat illud θαυμάζεται? Qui sunt illi mirabundi gratiam quæ procedat ex morte Eteoclis? Equidem neque intelligere possum, cur hoc verbo rex utatur, et multo minus qui fieri possit, ut præsenti utatur. Si gratia civibus ex morte regis, quæ ei imminebat, processura erat, quomodo illo tempore aliquis eam admirans induci potuit? Tunc nemo erat, qui quid futurum esset, si Eteocles occidisset, suspicari potuisset. Rex unus interitum suum vaticinans videt, quid vel quae commoda civibus suis ex eo sint proditura. Idem igitur etiam videt, alios postea hanc gratiam cognituros esse, quare futuro tempore ei utendum erat. Neque ipsum verbum θαυμάζειν hoc loco aptum videtur. Itaque futuro opus est et verbo significante, fore ut cognoscatur post mortem regis ab aliis, (civibus Thebanis), quid commodi inde iis sit redundaturum. Morte enim, Eteocles dicit, dirae patris expiabuntur felicitasque redibit Thebanis. Hunc sensum esse, docet et versus antecedens et sequens. Nam scholiastæ interpretationes: τὴν ἀπωλείαν ἡμῶν ἐν χάριτος μοίρᾳ λαμβάνουσιν· ἢ μετὰ θάνατον ἴσως εὐκλείας τευξόμεθα. Ἄλλως· μετὰ θάνατον φησὶν, αἱ πράξεις τῶν ἀνθρώπων θαυμάζονται quomodo nostrum locum explicent, alii videant. Mihi non liquet. Quinam sunt illi, qui Eteoclis mortem ἐν χάριτος μοίρᾳ λαμβάνουσιν, et quicunque sunt, quo tempore id faciunt? tum quum Eteocles loquitur? Reliquæ duæ demonstrant, etiam scholiastæ futurum necessarium esse visum, nam et τευξόμεθα posuit, et in verbis μετὰ θάνατον θαυμάζονται propterea tantum præsens aptum est, quod γνωμικῶς ut dicunt loquitur. Sensus versus igitur nullus est aut hic: si mortuus ero, cognoscetur, gratiam ex morte mea civibus meis contigisse, et animo ejus obversatur, fore, ut ipso mortuo, faces belli civilis extinguantur et Labdacidarum genus ira coelesti sedata Thebanis poenæ atque exitio esse desinat. Sed quid pro θαυμάζεται scribendum sit dubito. Conjeceram θεάσεται, quamquam non ignoro, passiva significatione hoc verbum apud meliores scriptores fortasse omnino non inveniri. Apud posteriores non admodum rara est cfr. Boiss. ad Philostr. p. 421 et Eunap. p. 433. Præterea post παρημελήμεθα fortius est interpungendum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ad Agam. v. 1041 conjeceram pro eo quod vulgo legitur: δουλίας μάζης τυχεῖν — δουλίας μάζης θιγεῖν quam conjecturam, quum in eandem Keckius inciderit et a Krusio (Zeitschrift für Gymn. 1864 18. Jahrg.) sit probata, non commemorarem, nisi Dindorfius in novissima editione sua illud τυχεῖν retinuisset, fortasse, id quod mihi verisimillimum esse videtur, quia ipsius editio jam, quamquam sequente demum anno publici juris est facta, prelo subjecta erat, ita ut illam recipere non posset. Nam si inter utramque conjecturam optio datur, primo cuique inspicienti θιγεῖν aptius esse manifestissimum est. τυχεῖν enim et τλῆναι (φασὶ . . παῖδα Ἀλκμήνης . . πραθέντα τλῆναι δουλίας μάζης τυχεῖν) quodammodo contraria inter se sunt, quod huic loco minime aptum est.

Sept. 624. Eteocles dicit, se Amphiarao, quem nuntius summis propter fortitudinem et sapientiam laudibus extulerat, oppositurum esse Lasthenem, virum senili quidem prudentia, sed juvenili corpore, acri oculo, χεῖραδ'οὐ βραδύνεται παρ'ἀσπίδος γυμνωθὲν ἁρπάσαι δόρυ. Interpretantur hæc verba: manus autem non moratur prope scutum nudatam hastam corripere. (Blomfield secutus virum doctum in actis eruditorum a. 1750, a quo recentiores non recesserunt editores. Brunckius non intellegit hastam sed ensem). Neque aliter verba, ut scripta sunt, possunt intellegi. Sed si paulo accuratius locum inspexerimus, mox inveniemus, id Aeschylum dicere non potuisse, nisi indignam ipso scribendi negligentiam ei obtrudere velimus.

Opposita sunt inter se ποδῶκες ὄμμα et χεῖρα δ'οὐ βραδύνεται. Utrumque strenui est bellatoris et conspicere, ubi hostis vulnerari possit, et ictum eodem fere temporis momento corpori infligere. Illud significat Aeschylus verbis ποδῶκες ὄμμα, hoc in languidis illis verbis, quæ legimus, non inest Sed primum videamus, utrum Brunckiana an Blomfieldiana interpretatio verior sit. Si cum Brunckio ensem statuimus, quaeritur, cur hic potissimum memoratus sit, præcipuum autem genus armaturae veterum, imprimis heroum, hasta, silentio sit praetermissa. Inesset praeterea tacita notio, hastam eum, qua uti solebant heroes, priusquam gladio hostem aggrederentur, frustra emisisse. Quare illa Brunckii interpretatio spernenda et Blomfieldiana retinenda est. Sed restat non minor difficultas. Quid enim ei prodest, si celeriter hastam prope scutum (h. e. sinistra manu) usque ad id tempus retentam, ne dicam conservatam, dextra corripit jam in eum irruente hoste? Jam paratum eum esse ad pugnam et intentum, jam hastam dextra li-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

brare oportet, si hostis appropinquat, non otiosum stare retenta sub clypeo hasta. Siigitur Aeschylus ita scripsisset, ut in edd. legitur, mirum in modum fortissimum militem suum nobis ante oculos poneret. Hoc quidem neminem puto esse negaturum, sensum eum quem postulo, Lasthenem et tanta acie oculorum esse, ut extemplo, ubi pars aliqua corporis nudata sit scuto, conspiciat, et manu promptum, ut statim adversarium latus præbentem feriat, multo præstare sensui quem verba praebent, ut nunc apud Aeschylum leguntur. Sed facillima mutatione eum quem desidero sensum restituere possumus, pro δόρυ legentes δορί: ποδῶκες ὄμμα, χεῖρα δ'οὐ βραδύνεται παρ' ἀσπίδος γυμνωθὲν ἁρπάσαι δορί: acri oculo est, manu autem promptus id quod prope scutum nudatum est, hasta corripere, vulnerare.

Nunc demum versus sequens: θεοῦ δὲ δῶρόν ἐστιν εὐτυχεῖν βρότους arcte se applicat ad praecedentes. Quamquam enim virtutes illas Lasthenes habet, quibus ad hortem feriendum opus est, tamen in deorum manibus hominum felicitas, victoria, sita est.

Iam videamus, quibus aliis argumentis praeter ea quae ex ipso loco petita sunt, conjecturam nostram fulcire possimus. Ac primum quidem adminiculum in scholiis inest. Duo enim scholia, quae ad rem nostram faciunt, extant, quae quamquam in numero recentiorum a Dindorfio habentur, tamen paulo accuratius excutienda sunt, quare ea hoc loco transscribenda putavi:

χεῖρα δ'οὐ βραδύνεται] τὴν χεῖρα δὲ οὐ βραδύς ἐστιν, ὥστε ἁρπάσαι καὶ προσβαλεῖν τὸ δόρυ εἰς μέρος ἐχθροῦ γυμνωθὲν τῆς ἀσπίδος. O. P.
τοσοῦτον γάρ ἐστι ταχὺς εἰς πόλεμον ὥστε ἁρπάσαι καὶ προσλαβεῖν τὸ δόρυ γυμνωθὲν παρὰ τῆς ἀσπίδος, τουτέστιν ἐάν τινα αἴσθηται μέλλοντα βάλλειν αὐτὸν καὶ ἐν ᾧ μέλλει βαλεῖν καὶ κινήσειν τὴν χεῖρα, γυμνωθέντα τῆς ἀσπίδος, ἣν εἶχεν εἰς φυλακὴν καὶ δι'ἧς ἐκαλύπτετο, ἐὰν ταῦθ'οὕτω γενόμενα ἴδοι (leg. ἴδῃ), πρὶν παρ' ἐκείνου τετρῶσθαι, αὐτὸς ἐν τῷ γυμνωθέντι μέρει ἐκεῖνον βάλλει τῷ δόρατι. ἢ οὕτως· ἁρπάσαι καὶ ταχέως κινῆσαι δόρυ παρὰ τὸ γυμνωθὲν μέρος τῆς ἀσπίδος τοῦ ἀνταγωνιστοῦ, τουτέστιν εἰ συνίδοι τὸν αὐτοῦ (leg αὑτοῦ) ἀντίπαλον γυμνωθέντα τῆς ἀσπίδος κατά τι μέρος αὐτοῦ τάχιστα βάλλει αὐτὸν ἐκεῖσε τῷ δόρατι. B.

Illud scholion non respondere lemmati primo cuique aspicienti apparet.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Nemo enim non videt, γυμνωθὲν esse referendum ad μέρος. Dindorfius quidem post ἐχθροῦ commate interpunxit, quod primum ratio grammatica vetat. Nam non licet γυμνωθὲν potius ad neutrum remotius δόρυ referre quam ad propius μέρος. Tum vero vix intellegi potest, quid significet δόρυ γυμνωθὲν τῆς ἀσπίδος; contra manifestissimum, quid sit corpus scuto nudatum, neque obscurum, quid notionis insit in παρ'ἀσπίδος γυμνωθὲν δόρυ ἁρπάζειν. Comma igitur illud delendum est. Scholiasta igitur scholion quod ad eam quam proposui lectionem explicandam adscriptum erat, ad lectionem transtulit, quam in codice suo habebat, ita ut scholion ipsum et lemma nequaquam congruant. Contra in altero scholio duæ explicationes mirum in modum confusae atque commixtae sunt. Usque ad verba τουτέστιν ctr. explicatur lectio, quae nunc in libris est δόρυ; ea quae tum sequuntur nostram confirmant conjecturam. Nam sensus verborum, quae mihi quidem propterea tam contorta tamque perversa esse videntur, quod scholiasta utramque explicationem consociare studebat, hic est: eo tempore, quo hostis in eum hastam conjecturus est manumque movet vel tollit, hic ferit partem corporis scuto nudatum priusquam ipse vulnerari possit. Explicatio igitur, quae ab τουτέστιν incipit, minime congruit cum verbis praecedentibus, quibus inservire debet: τοσοῦτον γὰρ ctr. Reliqua verba inde ab ἢ οὕτως nostrae locum restituendi rationi apertissime favent, nullo autem pacto ad codicum scripturam accommodari possunt. Ex his satis dilucide apparere putaverim, scholiastæ duas ante oculos fuisse interpretationes, alteram, quae textum, ut nunc habemus, explicavit, quamque ille cum altera eaque antiquiore, quae textum explicavit, quem restituisse mihi videor, conjungere studuit neque tamen potuit. Quod dixi hanc esse antiquiorem, jam eo comprobatur, quod explicationem lectionis, quam ipse in textu habebat, in concordiam revocare voluit cum altera, quae huic textui minime congruens est. Idem confirmatur verbis ἢ οὕτωσ seqq., quae nihil aliud significant quam ipsa praecedentia.

Jam mihi demonstrandum est, quomodo factum sit, ut lectio depravaretur et surreperet altera minime sensui conveniens. Facillimam esse mutationem verbi δόρυ et δορὶ vix quisquam negaverit, quo facto γυμνωθὲν et δόρυ conjungerentur necesse fuit, quibus vocibus conjunctis verbum ἁρπάζειν accommodatissimum videbatur. Nam usitatissima conjunctio est ἁρπάζειν ὅπλα, sim. quae fortasse ipsa in causa fuit, cur corrumperetur versus. Sed quamquam vereor ne longior sim, quam res quæ videtur minime esse obscura postu-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

lat, tamen pauca addam, quibus demonstrabo, apud Aeschylum non esse inusitatam hanc loquendi rationem. Atque primum ostendere in animo est, dici posse ἁρπάζειν τινὰ δορὶ propterea quod simili dicendi ratione poetae usi sint. Verbum ἁρπάζειν significat celeriter arripere, tum rapere et interficere. Sic sæpissime apud Homerum, ut: E, 556. τὼ μὲν ἄρ'(λέοντε) ἁρπάζοντε βόας καὶ ἴφια μῆλα P. 62 ὡς δ' ὅτε τις λέων . . βοσκομένης ἀγέλης βοῦν ἁρπάσῃ M. 305. ἀλλ' ὅγ' ἄρ' ἢ ἥρπαξε μεταλμενος ἠὲ καὶ αὐτὸς ἔβλητο. X 310. ὥστ' αἰετὸς ὅστ' εἶσιν . . . . ἁρπάξων ἢ ἄρν' ἀμαλὴν ἢ πτῶκα λαγωὸν. O. 174. ὡς ὅδε (αἰετὸς) χῆν' ἥρπαξε . . . ὣς Ὀδυσεὺς οἴκαδε νοστήσει καὶ τίσεται multisque aliis locis, e quibus elucet, eam quam dixi rapiendi notionem cum notione interficiendi esse conjunctam Simili modo ex capiendi significatione verbi αἱρεῖν orta est interficiendi (cfr. Φ 555. αἱρήσει με καὶ ὥς (Agenorem Achilles) et notissima loquendi formula apud Homerum εἷλεν ἄνδρα, ut E. 541. Αἰνείας ἕλεν ἄνδρας ἀρίστους). Utrumque verbum etiam cum dativo instrumenti conjungitur ut Philoct. 1212. ἀπάταισι ἄνδρα ἑλών. Oed. Col. 820. τίς ἄν με . . ἕλοι βίᾳ et quod luculentissimum est: Aj. 1056. ὡς ἕλοι δορί. Eodem modo ἁρπάζειν βίᾳ legitur Philoct. 640· ὅταν παρῇ κλέψαι τέ χ' ἁρπάσαι βίᾳ Eurip. Cycl. 109 ἀνέμων θύελλαι δεῦρό μ' ἥρπασαν βίᾳ. Quum igitur ἁρπάζειν et αἱρεῖν eodem fere sensu, nisi quod in illo notio violentiae inest, qua hoc caret, adhibeantur et eodem modo cum dativo βίᾳ conjungantur, αἱρεῖν vero etiam cum dativo δορὶ, consentaneum est, eundem dativum etiam cum verbo ἁρπάζειν potuisse conjungi et hoc loco conjunctum fuisse.

Ceterum quamquam notissima res est pauca tamen addam de constructione παρ' ἀσπίδος, pro qua fortasse quispiam expectaverit παρ' ἀσπίδι, si conjectura mea recta est. Sed παρὰ c. gen. propriam retinet vim, ab, a parte. Graecos enim et Romanos saepissime non locum, ubi aliquid fiat, sed unde motus fiat respicere notissimum est. Ita etiam παρ' ἀσπίδος h. l. significat a scuto, quia nudatio corporis a scuto ut ita dicam proficiscitur. Quod participium γυμνωθὲν substantivi modo sine articulo positum est, tragicorum consuetudinis dicendi peritum non offendet. Neque opus est articulo propterea, quod non unus locus sed quaelibet corporis pars scuto nudata significanda erat. Exempla participiorum substantivorum modo adhibitorum multa apud Aeschylum inveniuntur, ut Eumen. 377. πίπτων δ'οὐκ οἶδεν τόδ' ὑπ' ἄφρονι λύμᾳ (is qui cadit) Eumen 579.· φόνου δὲ τοῦδ' ἐγὼ καθάρσιος καὶ ξυνδικήσων αὐτός. Pers. 245. δεινά τοι λέγεις ἰόντων τοῖς τεκοῦσι φροντίσαι. Sept.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

684. μόνον γὰρ κέρδος ἐν τεθνηκόσι. Suppl. 231. κακεῖ δικάζει τἀμπλακήμαθ', ὡς λόγος, Ζεὺς ἄλλος ἐν καμοῦσιν ὑστάτας δίκας. Prom. 385. κέρδιστον εὖ φρονοῦσι μὴ φρονεῖν δοκεῖν. Jam ex his exemplis satis apparere puto, etiam γυμνωθὲν substantive usurpatum suspicionem movere non posse praesertim quum verti possit: si quid nudatum est.

His argumentis satis demontrasse mihi videor, me meo jure accusativum δόρυ in dativum δορὶ mutavisse, si recte, ut in codd. scriptum est, legitur: ποδῶκες ὄμμα, χεῖρα δ'οὐ βραδύνεται παρ' ἀσπίδος γυμνωθὲν ἁρπάσαι. Unum restat, ut ostendam, quomodo res se habeat, si recte Dindorfius versum ποδῶκες ὄμμα, χεῖρα δ'οὐ βραδύνεται ut spurium ejecerit. Quod mihi quidem neque necessarium videtur et propterea tantum factum, ut ratio normaque versuum accurate inter se respondentium, a Ritschelio excogitata, retineretur. Sed de hac re fortasse alias. Licet enim lex illa vera sit recteque Dindorfius fecerit, tamen fere non minus languet oratio: σάρκα δ'ἡβῶσαν φύει παρ'ἀσπίδος γυμνωθὲν ἁρπάσαι δόρυ. Nam quamquam oppositio non tam manifesta est quam si ποδῶκες ὄμμα præcedit, tamen non in eo cernitur ἡβῶσα σάρξ, quod hastam sub scuto sinistra manu retentam dextra arripit, sed in eo, quod hastam tenet ad vulnus hosti infligendum paratus.

Jam venio ad locum, qui non tam facili mutatione corrigi potest quam quae modo attuli. Sept. 1047 legitur, quum Antigona minis praeconis qui sepulturam Polynicis vetuerat, objecisset, se eum esse sepulturam et ille interrogavisset: ἀλλ' ὃν πόλις στυγεῖ, σὺ τιμήσεις τάφῳ; ἤδη τὰ τοῦδ' οὐ διατετίμηται θεοῖς, quam librorum lectionem sanum sensum non praebere non est quod moneam. Non minus manifestum est, qui sensus inesse debeat, quum sequatur οὔ. Necesse est enim aut fuisse interrogationem negativam, ita ut concedat ex parte præco, hanc tamen concessionem statim restringat sequentibus: πρίν γε χώραν τήνδε κινδύνῳ βαλεῖν, aut affirmationem. Hermannus conjecit: ἤδη τὰ τοῦδ' οὐ δυστετίμηται θεοῖς, quo verbo sensui quidem satisfecit, sed verbo usus est, quod nullam habet veterum auctoritatem. Præterea verba τὰ τοῦδε, res hujus, ea, quae ad hunc pertinent, tam late patent tamque ambigue dicta sunt, ut Antigonae, quae praeconi respondere debet, juste vel non injuste fecisse Polynicem neque deorum legibus obversatum esse, minime conveniant. Ceterum quid sibi velit illud ἤδη, nisi ut versum compleat, equidem non perspicio. Itaque conjecerim pro

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ἤδη — ἤθη et pro οὐ διατετίμηται θεοῖς — οὐδ' αἷμ'ἀτίμητον θεοῖς, neque mores hujus neque sanguis, genus, diis negligitur, quod praeco concedit: οὔ (οὐκ ἀτιμοῦται), πρίν ctr. Deorum de Polynice opinionem opponit Antigona opinioni populi Thebani, quem quasi testem adhibuerat versu præcedente præco. Populus quidem Thebanorum ira in Polynicem incensus est; sed mores ejus deorum præceptis non obstabant, propterea quod ipse regno paterno a fratre erat expulsus et παθὼν κακῶς κακοῖσιν ἀντημείβετο. Sanguinem ejus propterea dii inhonoratum nolunt, non negligunt, quod rex Thebanorum ex pacto cum Eteocle atque regia stirpe, et ex Antigonae quidem sententia διοτρεφὴς βασιλεὺς fuit, quamquam expulsus erat e patria. Quodsi igitur illi νόμοι ἄγραφοι in eo negligebantur, multo majus piaculum contraherent cives Thebani, imprimis propinqui atque consanguinei ejus necesse erat, quam si tenuissimi cujusdam humillimique civis corpus inhumatum projiceretur. Vetus scholion ἤδη τὰ τοῦδ'] τὰ περὶ τῆς τιμῆς τούτου ὑπὸ θεῶν κέκριται quamquam non favet sententiae nostrae, tamen non repugnat. Nam dii de funere ejus constituerunt legem, quam negligere et mores ejus et genus vetant. Falsa lecti facillime ex genuina prodire potuit: ΟΥΔ ΑΙΜ ΑΤΙΜΗΤΟΝ ΘΕΟΙϹ ΟΥ ΔΙΑΤΕΤΙ ΜΗΤΑΙ ΘΕΟΙϹ.

Agam. 1216 pro lectione codicis M. ἐφημίοις et aliorum qui ἐφημένοις vel similia habent Hermannus conjecit δυσφροιμίοις, sagaci ut assolet conjectura. Neque tamen infitiari possumus, verba etiam felicissime et naturæ linguae convenientissime ficta, si auctoritatem non habeant, in textum recipi non posse, si alio modo mederi loco licet. Conjeci igitur κακοῖς φρένα — ὑπ' αὖ με δεινὸς ὀρθομαντείας πόνος στροβεῖ ταράσσων φροιμίοις κακοῖς φρένα, quo aptissime sensus restituitur.

Quamquam in lacunis explendis non facile ultra progredi possis quam ut verisimilia consequaris, tamen periculum faciam duobus locis Choeph. tam facili conjectura verba quae desunt restituere, ut mirum sit, si nemo jam antea in eam inciderit. Sunt v. 450 et 462. Postquam chorus et Electra invicem nefarium Clytaemnestræ scelus, pravissimos ejus mores, inhonestas Agamemnonis exequias execratæ essent, Electra suam quoque sortem quam perpessa sit queritur. ἐγώ δ'ἀπεστάτουν ἄτιμος οὐδὲν ἀξία ctr. Tum sequuntur verba τοιαῦτ' ἀκούων ἐν φρεσὶν γράφου, cui versui duae desunt syllabae, ut versui antistrophico respondeat. Neque aliud quid legenti facilius occurrit vocabulum ad sensum accommodatum, quam κακὰ:

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

haec mala audiens in animo inscribe, ita ut τοιαῦτα κακὰ ad reliqua chori ipsiusque verba referendum sit maximeque ad postrema, quibus suam miseram conditionem descripserat. Illud ἐν φρεσὶ γράφου Orestem ad ultionem caedis stimulare debet, quare κακὰ additum est, ut ipsius quoque fratrem misereat. Id vero satis constare putaverim, in versuum distributione inter chorum, Electram et Orestem sequendum esse Dindorfium, non Hermannum. In v. 462. Hermannus conjecit δίκας: ἰὼ θεοί, κραίνετ' ἐνδίκως δίκας, quod verbum aptissimum possit videri propter repetitionem verbi ejusdem stirpis a tragicis adeo adamatam. Nihilominus quia praecedit Ἄρης Ἄρει ξυμβαλεῖ, Δίκα Δίκᾳ nimis saepe idem repetitur vocabulum, quare id quod sensui non minus conveniens est proposuerim: ἄρας, imprimis etiam ea causa ductus quod in sequente versu statim sequitur εὐγμάτων, ad quod proxime accedit vox ἄραι.

Agam. 694. 95. ἐπεὶ . . . ἔπλευσε (Helena) Ζεφύρου γίγαντος αὔρᾳ — πολύανδροί τε φεράςπιδες κυναγοὶ κατ' ἴχνος πλάταν ἄφαντον — κελσάντων Σιμόεντος ἀκτὰς ἐπ' ἀεξιφύλλους ctr. Quum Dindorfius etiam in recentissima editione Heathii et Aurati πλατᾶν et κέλσαντες pro librorum scriptura πλάταν et κελσάντων retinuerit, quin paucis hunc locum attingam facere non possum. Illud enim Aurati κέλσαντες sensui regulisque dictionis Aeschyleae ita repugnat, ut intolerabile videatur et maxime mirandum sit, Dindorfium conjecturam ejus probavisse. Comparantur Graeci bellum Trojanis illaturi cum venatoribus qui vestigia ferarum sequuntur. Helena, ut poeta dicit, ἔπλευσε Ζεφύρου γίγαντος αὔρα, ii, qui eam persequuntur, alio vento Trojam pervenire non possunt, nisi ipso Zephyro, quare, ut quivis videt, ex praecedentibus ad verba πολύανδροί τε . . κυναγοὶ supplendum est ἔπλευσαν Ζεφύρου αὔρᾳ. Ii autem qui navigaverunt κατ' ἴχνος non possunt dici κέλσαντες ctr. quia navem nondum appulerant, sed potius κέλσοντες quia navem appulsuri sunt, si omnino mutatione opus esset. Nam participium aoristi significat semper apud Aeschylum, actionem verbi, cujus participium aoristi positum est, ante tempus verbo finito exhibitum incidisse. (cfr. diss. m. p. 28. seqq). Quum autem actio verbi κέλλειν necessario sequatur actionem verbi ἔπλευσαν, hoc loco participium aoristi κέλσαντες ferri nequit. Cum ipsa illa Aurati conjectura etiam Heathii πλατᾶν concidit, quae propterea jam minus apta est, quod de una tantum navi sermo est, qua Helena et Paris cum comitibus aufugerunt. Contra pluralis numerus inepte plures naves ante oculos poneret, quum (quamquam non negaverim, etiam pluralem pro singulari ναῦς positum inveniri posse)

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

translata significatione singularis usitatissimus sit. cfr. Philoct. 220. τίνες ποτ' ἐς γῆν τήνδε ναυτίλῳ πλάτῃ κατέσχετε 355.. πικρὸν Σίγειον οὐρίῳ πλάτῃ κατηγόμην. Quid praeterea in constructione κατ' ἴχνος πλάταν ἄφαντον κελσάντων ἐπ' ἀκτὰς inest, quod inusitatum vel difficile intellectu dici possit? An fortasse genetivus κελσάντων, qui ab voce ἴχνος pendet, longius remotus est duobus verbis πλάταν ἄφαντον, quae objectum verbi κελσάντων continent, interpositis? an genetivus pluralis quum antecedat Helena ἔπλευσεν? At quamquam grammatice ita se habet, quis nescit vel quis civium Atheniensium nescivit Helenam non solam sed cum Paride et comitibus navi illa esse vectam? Cur igitur poetae non licuit, logice, ut dicimus, continuare constructionem grammatice inchoatam? Hanc dicendi rationem sexcenties in Aeschyli tragoediis invenire poteris. Non magis offendere possumus in participii articulo omisso (cfr. exempla supra a me allata), ἄφαντος πλάτα satis dilucida conjunctio est, navis non conspicua, jam oculis erepta; nam si κατ' ἴχνος navigarunt, jam navem ipsam non amplius conspexerunt, et quia illi navem jam appulerant ad litus Trojanum, ἄφαντος erat. Nulla igitur causa inveniri potest, cur in tradita scriptura non acquiescamus; immo Aurati conjectura legibus grammaticis contraria est. Vertendus igiur locus ille est: quum navigaret Helena aura Zephyri vehementis et venatores scutati secundum vestigium eorum qui navem non amplius conspicuam appulerant ad Simoentis ripas frugiferas.

Dr. phil. B. Romahn.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf